

men in his quæ ad servitutem spectant, magis matrem sequuntur.

ARTICULUS V.

Utrum defectus ætatis impediatur matrimonium.

1. **A**d quintum sic proceditur. Videtur quod defectus ætatis non impediatur matrimonium. Secundum enim leges pueri accipiunt tutorem usque ad viginti quinque annos. Ergo videtur quod usque ad tempus istud non sit confirmata ratio ad consensum; & ita videtur quod illud debeat esse tempus statutum ad matrimonia ineunda. Sed ante tempus illud matrimonium potest contrahi. Ergo defectus ætatis non impedit matrimonium.

2. Præterea. Sicut vinculum religionis est perpetuum, ita vinculum matrimonii. Sed ante decimum octavum annum non possunt facere professionem secundum novam (1) institutionem (a). Ergo nec matrimonium contrahere; si defectus ætatis matrimonium impediret.

3. Præterea. Sicut consensus ad matrimonium requiritur ex parte viri, ita ex parte mulieris. Sed mulier ante quartumdecimum annum potest contrahere matrimonium. Ergo & vir.

4. Præterea. Impotentia coeundi, nisi sit perpetua, & ignorata, non impedit matrimonium. Sed defectus ætatis non est perpetuus, nec ignoratus. Ergo non impedit matrimonium.

5. Præterea. Non continetur in aliquo prædictorum impedimentorum (2); & ita non videtur matrimonii esse impedimentum.

Sed contra est quod Decretalis (b) de desponsat. impub. cap. *Attestationes*, & cap. *Ex litteris*, dicit, quod puer qui non potest reddere debitum, non est aptus matrimonio. Sed ante decimum quartum annum ut in pluribus non potest reddere debitum, ut patet in IX. de animalibus, vel VII. de histor. animalium, cap. 1. Ergo &c.

Præterea. Omnium natura constantium positus est terminus magnitudinis, & augmenti; (c) & ita videtur, cum matrimonium sit naturale, quod debeat habere determinatum tempus, per cuius defectum impeditur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod matrimonium, cum fiat per modum contractus cujusdam, ordinationi legis positivæ subjacet, sicut & alii contractus: unde secundum jura determinatum est quod ante illud tempus discretionis quo uterque possit de matrimo-

nio sufficienter deliberare, & debitum sibi invicem reddere, matrimonia non contrahantur: & si non ita facta fuerint, dirimuntur. Hoc autem tempus ut in pluribus est in masculis in quattuordecimo anno, in femina autem in duodecimo, cujus ratio supra dist. xxvii. quæst. 2. art. 3. in corp. dicta est. Quia tamen præcepta juris positivi sequuntur id quod est in pluribus, si aliquis ad perfectionem debitam ante tempus prædictum perveniat, ita quod vigor naturæ, & rationis, defectum ætatis suppleat, matrimonium non dissolvitur: & ideo si contrahentes ante annos pubertatis carnaliter ante tempus prædictum fuerint copulati, nihilominus matrimonium stat indissolubile.

Ad primum ergo dicendum, quod in illis ad quæ natura inclinat, non exigitur tantus vigor rationis ad deliberandum, sicut in aliis: & ideo ante potest in matrimonium sufficienter deliberans consentire quam possit in contractibus aliis res suas sine tutore tractare.

Et similiter etiam dicendum est ad secundum: quia votum religionis est eorum quæ sunt supra inclinationem naturæ, quæ majorem difficultatem habent quam matrimonium.

Ad tertium dicendum, quod mulier citius ad tempus pubertatis pervenit quam vir, ut dicitur in IX. de animalibus, vel Lib. VII. de histor. animal. cap. 111. & supra dist. xxvii. quæst. 11. art. 2. ad 3. dictum est: & ideo non est simile de utroque.

Ad quartum dicendum, quod ex parte ista non solum est impedimentum propter impotentiam coeundi, sed propter defectum rationis, quæ ad hoc non sufficit ad consensum illum rite faciendum qui perpetuo durare debet.

Ad quintum dicendum, quod sicut impedimentum quod est ex furia, reducitur ad impedimentum erroris; ita & impedimentum quod est ex defectu ætatis: quia homo non habet usum plenum liberi arbitrii.

EXPOSITIO TEXTUS.

Quod si ipsa fuerit in servitute detenta, si eam à servitute redimere potest, faciat; si non potest, si voluerit, aliam accipiat. Sciendum, quod si antequam sit detecta servitus uxoris, de qua dubitatur, petat debitum; si levi suspitione moveatur (3) vir, debet reddere debitum: nec ex hoc ei aliquod præjudicium generatur. Si autem ex causa probabili dubitet, vel vehementer presumat, aut certe cognoscat; non debet ei debitum reddere, Ecclesia præcipiente: quia vel sibi præjudicium faceret, si eam uxorio affectu cognosceret, aut alias fornicaretur.

DISTINCTIO XXXVII.

In quo ordine nequeat fieri conjugium.

Sunt igitur quidam ordines in quibus nullatenus potest contrahi conjugium; & si intercesserit copula, fit divorcium, ut sacerdotium, diaconatus, & subdiaconatus. (4) In aliis vero permittitur sortiri conjugium.

(1) Nicolai constitutionem. (2) Addit Nicolai hic defectus. (3) Al. deest vir. (4) Nicolai: Aliis vero.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Sic etiam Albertus in eadem dist. & sic supponere videtur infra posita responsio: quamvis nova constitutio ad quam alludit, Innocentii IV. vel Alexandri IV. quartumdecimum annum notat, ut & in Supplemento muratum est quæst. LVIII. art. ultim. Perperam prius indicabatur ad marginem cap. *Quia in Insulis* extra de Regularibus, ubi pueri ante xviii. annum recipi prohibentur: quia nec esse potest nova constitutio, quæ ibid. ex Gregorio prænotatur Lib. I. Epist. epist. XLVIII. nec nisi pro Monachis insularibus lata dicitur, quia eorum congregatio durior est. (b) De frigidis, & maleficiis cap. *Quod sedem*. (c) Lib. II. de Anima text. xli.

jugium, nisi religionis habitum sumpserint, vel continentiam votum fecerint. Unde Leo Papa: (a) „Clericos, lectores, hostiarios, exorcistas, acolythos, si extra votum, & habitum inveniuntur, & continentiam profiteri nolunt, uxorem ducere virginem Ecclesia Romana permittit, non viduam, vel repudiatam; quia deinceps nec ad subdiaconatum provehi poterunt, nec laicus uxorem sortitus nisi virginem, vel bigamus ad clericatum. (2)“ Item ex Carthaginensi Concilio, V. cap. xxxi. „Placuit Episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos etiam, ab uxoribus abstinere: quod si non fecerint, etiam ab ecclesiastico removeantur officio. Ceteros vero clericos ad hoc non cogit.“ Item Leo Papa I. epist. xcii. ad Rusticum cap. 111. „Lex continentiam eadem est ministris altaris quæ Episcopis, & presbyteris: qui cum essent laici, vel lectores, licite uxores ducere potuerunt; sed cum ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit eis non licere quod licuit.“ Item in VI. Synodo, can. vi. „Si quis eorum qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali lege mulieri copulari, hoc ante ordinem subdiaconatus faciat.“ Item Calixtus Papa: (b) „Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, monachis concubinas habere, seu matrimonium contrahere, penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad penitentiam debere redigi; juxta Sanctorum canonum distinctionem judicamus.“ Item Gregorius: (c) „Nullum facere subdiaconum Episcopi præsumant, nisi qui se caste victurum promiserit: quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.

De interfectoribus suarum conjugum.

HIS adjiciendum est de occisoribus suarum conjugum; de quibus Nicolaus Papa scribit Rodolpho Bituricensi Archiepiscopo, ut refertur causa xxxiiii. quæst. 2. „Interfectores suarum conjugum sine iudicio (cum non addis (3) adulterarum, vel aliquid hujusmodi) quid aliud habendi sunt quam homicidæ? ac per hoc ad penitentiam redigendi; quibus penitus denegatur conjugium.“ Hic videtur Nicolaus permittere maritis pro adulterio, aut alio hujusmodi uxores suas interficere. Sed ecclesiastica disciplina spirituali gladio, non materiali criminosis feriri jubet. Unde idem Nicolaus (d): „Inter hæc vestra sanctitas ad dære studuit, si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito ejus secundum mundanam legem interficere eam liceat. Sed sancta Dei Ecclesia, quæ numquam mundanis constringitur legibus, gladium non habet nisi spirituale.“ Item Pio Papa, ibid. „Quicumque propriam uxorem absque lege, & sine causa interfecerit, aliamque duxerit, armis depositis, publicam agat penitentiam; & si contumax extiterit, anathematicetur usquequo consentiat.

DIVISIO TEXTUS.

ARTICULUS I.

Utrum ordo impediatur matrimonium.

Postquam determinavit Magister de impedimentis quæ faciunt personas medias inter penitus legitimas, & penitus illegitimas, hic determinat de impedimentis quæ faciunt personas penitus illegitimas: & dividitur in partes duas. In prima determinat de impedimentis quæ faciunt personas illegitimas respectu cujuslibet personæ; in secunda de impedimentis quæ faciunt personas illegitimas respectu aliquarum personarum, & non respectu omnium, xxxix. dist. ibi: *Post hæc de dispari cultu videndum est*. Prima in duas. In prima determinat de impedimento ordinis; in secunda de impedimento voti, xxxviii. dist. ibi: *Nunc de voto inspiciamus*. Prima in duas. In prima ostendit quomodo matrimonium per ordines impeditur; in secunda quomodo impeditur per uxoricidii crimen, ibi: *Hic adjiciendum est &c.*

QUÆSTIO I.

HIC est duplex quæstio. Prima de impedimento ordinis. Secunda de uxoricidio.

Circa primum quaruntur duo.

Primo. Utrum ordo præcedens impediatur matrimonium.

Secundo. Utrum matrimonium præcedens ordinem sequi patiat.

(2) Addit Nicolai potest ascendere. (3) Al. adulteram.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Scilicet Leo Nonus contra Nicetam, ex quo refertur in Decretis dist. xxxii. cap. *Seriatim*, vel ex Humberto Cænomanensi ejus Legato ad Nicetam Abbatem respondente. (b) Refertur in Decret. dist. xxvii. cap. *Presbyteris*, & Calixti secundi nomine prænotatur; sed aliunde sumptum appendix notat. (c) Refertur ibid. cap. *Nullum*. (d) Albino Archiepiscopo scribens, ubi supra.

diaconatu, & aliis superioribus ordinibus uxores accepisse noscuntur, eos uxores dimittere compellatis: quod non esset, si esset verum matrimonium.

Præterea. Nullus vovens continentiam potest matrimonium contrahere. Sed quidam ordines sunt qui habent votum continentiae annexum, ut ex littera patet. Ergo talis ordo matrimonium impedit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ordo sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia quod matrimonium impedire debeat: quia in sacris ordinibus constituti sacra vasa, & sacramenta tractant; & ideo decens est ut mundiciam corporalem per continentiam servent. Sed quod impedit matrimonium, ex constitutione Ecclesiae habet; tamen aliter apud Latinos quam apud Græcos: quia apud Græcos impedit matrimonium contrahendum solum ex vi ordinis; sed apud Latinos impedit ex vi ordinis, & ulterius ex voto continentiae, quod est ordinibus sacris annexum: quod etiam si quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipso quod ordinem suscipit, secundum ritum occidentalis Ecclesiae intelligitur emisisse: & ideo apud Græcos, & alios Orientales sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonii prius contracti usum: possunt enim matrimonio prius contracto uti, quamvis non possint matrimonium de novo contrahere. Sed apud occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium, & matrimonii usum; nisi forte ignorante, aut contradicente uxore vir ordinem sacrum susceperit, quia ex hoc non potest ei aliquod præjudicium generari. Quomodo autem ordines sacri distinguantur a non sacris, nunc, & in primitiva Ecclesia, supra dist. xxiv. quæst. 11. art. 1. quæstiunc. 3. dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis ordo sacer non habeat contrarietatem ad matrimonium, in quantum est sacramentum; habet tamen repugnantiam quamdam ad ipsum ratione sui actus, qui spirituales actus impedit.

Ad secundum dicendum, quod jam patet quod obiectio procedit ex falsis. Ordo enim ubique impedit matrimonium contrahendum, quamvis ubique non habeat votum annexum.

Ad tertium dicendum, quod illi qui sunt in sacris ordinibus constituti; significant Christum nobilioribus actibus, prout ex dictis in tractatu de ordine, dist. xxi. quæst. 11. art. 1. quæst. 3. patet, quam illi qui sunt matrimonio juncti: & ideo ratio non sequitur.

Ad quartum dicendum, quod illi qui sunt in minoribus ordinibus constituti, ex vi ordinis non prohibentur matrimonium contrahere: quia quamvis ordines illi deputentur ad aliqua spiritualia, non tamen immediate habent accessum ad tractandum sacra, sicut illi qui sunt in sacris ordinibus. Sed secundum statutum occidentalis Ecclesiae matrimonii usus executionem ordinis non sacri impedit propter servandam majorem honestatem in officiis Ecclesiae. Et quia aliquis ex beneficio ecclesiastico tenetur ad executionem ordinis, & ex hoc ipso privilegio clericali gaudet; ideo hæc apud Latinos clericis uxoris auferuntur.

Et per hoc patet solutio ad ultimum.

ARTICULUS II.

Utrum matrimonio ordo sacer supervenire possit.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod matrimonio ordo sacer supervenire non possit. Quia fortius præjudicat minus forti. Sed fortius est vinculum spirituale quam corporale. Ergo si matrimonio junctus ordinem suscipiat, præjudicium generabitur uxori, ut non possit debitum exigere; cum ordo sit vinculum spirituale, & matrimonium corporale; & sic videtur quod non possit ordinem sacrum suscipere post matrimonium consummatum.

2. Præterea. Post matrimonium consummatum unus conjugum sine alterius consensu non potest continentiam vovere. Sed ordo sacer habet continentiam votum annexum. Ergo si vir ordinem sacrum invita uxore acciperet, cogere uxorem invita continentiam servare: quia non posset alteri nubere, viro vivente.

3. Præterea. Etiam ad tempus non potest vir vacare orationi sine consensu uxoris, ut habetur I. Corinth. vii. Sed apud Orientales illi qui sunt in sacris constituti, tenentur ad continentiam tempore quo exequuntur officium suum. Ergo nec ipsi possunt ordinari sine consensu uxoris, & multo minus Latini.

4. Præterea. Vir, & uxor ad paria judicantur. Sed sacerdos Græcus defuncta uxore sua non potest aliam ducere. Ergo nec uxor defuncto viro. Sed non potest sibi auferri facultas nubendi post mortem viri per viri actum. Ergo vir non potest suscipere ordines post matrimonium.

5. Præterea. Quantum matrimonium opponitur ordini, tantum est converso. Sed ordo præcedens impedit matrimonium. Ergo est converso.

Sed contra. Religiosi tenentur ad continentiam, sicut illi qui sunt in sacris ordinibus. Sed post matrimonium potest aliquis religionem intrare, defuncta, vel consentiente uxore. Ergo & ordinem suscipere.

Præterea. Aliquis potest fieri servus hominum post matrimonium. Ergo & servus Dei per susceptionem ordinis.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod matrimonium non impedit ordinis sacri susceptionem: quia si matrimonio junctus ad sacros ordines accedat, etiam reclamante uxore, nihilominus characterem ordinis suscipit, sed executione ordinis caret; si autem volente uxore, vel ipsa defuncta, ordinem sacrum accipit, recipit ordinem, & executionem.

Ad primum ergo dicendum, quod vinculum ordinis solvit vinculum matrimonii ratione redditionis debiti, ex qua parte habet repugnantiam ad matrimonium ex parte ejus qui ordinem suscipit: quia non potest petere debitum, nec uxor tenetur ei reddere. Sed tamen non solvit ex parte alterius, quia ipse uxori tenetur debitum reddere, si non possit eam inducere ad continentiam.

Ad secundum dicendum, quod si uxor sciat, & de ejus consensu vir ordinem sacrum susceperit, tenetur continentiam perpetuam vovere; non tamen tenetur religionem intrare; si sibi non timeat de periculo castitatis, propter hoc quod vir ejus solemne votum emisit; secus autem si emisisset votum simplex. Si autem sine ejus consensu susceperit, non tenetur: quia ex hoc nullam sibi præjudicium generatur.

Ad

QUÆSTIO II.

Ad tertium dicendum, quod sicut probabilius videtur (quamvis quidam contrarium dixerint) etiam Græci non debent accedere ad sacros ordines sine consensu uxoris, quia ad minus tempore ministerii sui fraudarentur debiti redditione; quo fraudari non possunt secundum ordinem juris, si eis contradicentibus, aut ignorantibus viri ordines susceperint.

Ad quartum dicendum, quod, sicut dicitur, eo ipso quod mulier consentit apud Græcos quod vir suus ordinem suscipiat, obligat se ad hoc quod ipsa in perpetuum alteri non nubat: quia significatio matrimonii non servaretur, quæ in matrimonio sacerdotis præcipue exigitur. Si autem sine consensu ejus ordinatur, non videtur ad hoc teneri.

Ad quintum dicendum, quod matrimonium habet pro causa nostrum consensum, non autem ordo, sed habet causam sacramentalem determinatam à Deo: & ideo matrimonium potest impediri ex ordine præcedente, quod non sit verum matrimonium, non autem ordo ex matrimonio, quod non sit verus ordo: quia sacramentorum virtus est immutabilis, sed actus humani possunt impediri.

QUÆSTIO II.

DEinde quæritur de uxoricidio: & circa hoc quærentur duo.

Primo. Utrum in aliquo casu liceat uxorem occidere.

Secundo. Utrum uxoricidium impediatur matrimonio.

ARTICULUS I.

Utrum liceat viro uxorem interficere in actu adulterii deprehensam.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod liceat viro uxorem interficere in actu adulterii deprehensam. Lex enim divina præcipit adulteras lapidari. Sed ille qui legem divinam exequitur, non peccat. Ergo nec occidens propriam uxorem, si sit adultera.

2. Præterea. Illud quod licet legi, licet ei cui lex hoc committit. Sed legi licet interficere adulteram, aut quamlibet personam ream mortis. Cum ergo lex commiserit viro interfecionem uxoris in actu adulterii deprehensæ, videtur quod ei liceat.

3. Præterea. Vir habet majorem potestatem super uxorem adulteram quam super eum qui cum ipsa adulterium commisit. Sed si vir percutiat clericum, quem cum propria uxore invenit, non est excommunicatus. Ergo videtur quod etiam liceat interficere propriam uxorem in adulterio deprehensam.

4. Præterea. Viri est uxorem suam suam corrigere. Sed correctio fit per inflictionem justæ pænæ. Cum ergo justa pænâ adulterii sit mors, quia est capitale crimen, videtur quod liceat viro uxorem adulteram occidere.

Sed contra. In littera dicitur, quod Ecclesia Dei, quæ numquam stringitur legibus mundanis, gladium non habet nisi spirituale. Ergo videtur quod ei qui vult esse de Ecclesia, non sit licitus usus legis illius quæ uxoricidium permittit.

Præterea. Vir, & uxor ad paria judicantur. Sed uxori non licet interficere virum in adulterio deprehensum. Ergo nec viro uxorem.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod virum interficere uxo-

rem contingit dupliciter. Uno modo per iudicium civile, & sic non est dubium quod sine peccato potest vir zelo justitiæ, non livore vindictæ, aut odii motus uxorem adulteram in iudicio sæculari accusare criminaliter de adulterio, & pœnam mortis à lege statutam petere, sicut etiam licet accusare aliquem de homicidio, aut de alio crimine. Non tamen talis accusatio potest fieri in iudicio ecclesiastico, quia Ecclesia non habet gladium materiale, ut in littera dicitur. Alio modo potest eam per seipsum occidere non in iudicio convictam; & sic extra actum adulterii eam interficere, quantumcumque sciat eam adulteram, neque secundum leges civiles, neque secundum legem conscientiae licet. Sed lex civilis quasi licitum computat quod in ipso actu eam interficiat, non quasi præcipiens, sed quasi pœnam homicidii non inferens, propter maximum incitamentum quod habet vir in tali facto ad occisionem uxoris. Sed Ecclesia in hoc non est astricta legibus humanis, ut iudicet eum sine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ ecclesiastico iudicio infligendæ, ex hoc quod est sine reatu pœnæ infligendæ per iudicium sæculare. Et ideo in nullo casu licet viro interficere uxorem propria auctoritate.

Ad primum ergo dicendum, quod pœnam illam infligendam lex non commisit personis privatis, sed personis publicis quæ habent officium ad hoc deputatum; vir autem non est iudex uxoris: & ideo non potest eam interficere, sed coram iudice accusare.

Ad secundum dicendum, quod lex civilis non commisit viro occisionem uxoris quasi præcipiens, (quia sic non peccaret, sicut nec minister iudicis peccat latronem occidens condemnatum ad mortem) sed permisit, pœnam non adhibens: unde etiam difficultates quasdam apposit, quibus retraherentur viri ab uxoricidio.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc non probatur quod sit licitum simpliciter, sed quantum ad immunitatem ab aliqua pœna: quia etiam excommunicatio quædam pœna est.

Ad quartum dicendum, quod duplex est congregatio: quædam œconomica, sicut familia aliqua; & quædam politica, sicut civitas, aut regnum. Ille igitur qui præest secundæ congregationi, ut Rex, aut iudex, potest infligere pœnam & corrigentem personam, & exterminantem ad purgationem communitatis cujus curam gerit. Sed ille qui præest in prima congregatione, sicut paterfamilias, non potest infligere nisi pœnam corrigentem, quæ non se extendit ultra terminos emendationis, quam transcendit pœna mortis: & ideo vir qui sic præest uxori, non potest ipsam interficere, sed alias castigare.

ARTICULUS II.

Utrum uxoricidium matrimonium impediatur.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod uxoricidium non impediatur matrimonio. Directius enim opponitur matrimonio adulterium quam homicidium. Sed adulterium non impedit matrimonium. Ergo nec homicidium uxoris.

2. Præterea. Gravius peccatum est occidere matrem quam uxorem: quia numquam licet verberare matrem, licet autem verberare uxorem. Sed occisio matris non impedit matrimonium. Ergo nec occisio uxoris.

3. Præterea. Magis peccat qui uxorem alterius propter adulterium interficit, quam qui uxorem suam,